

Disputatio medica inauguralis de nuce moschata ... / [Nikolaus Schultze].

Contributors

Schultze, Nikolaus, active 1709.
Rijksuniversiteit te Utrecht.

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Ex officina Guilielmi vande Water, 1709.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fjy2jras>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

XVI. 1705
Bind in
119A **SCHULTZE** (Nicolas) **DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS**
DE NUCE MOSCHATA. Sm. 4to ($7\frac{5}{8}$ by $6\frac{3}{16}$ in.), one copper-plate, device
on title-page. £1 10 0

Willem van de Water: Utrecht 1709

** Waring, *Bib. Therapeutica*, p. 573. The fourth work on nutmeg quoted
by Waring, the earliest being dated 1677.

47357/P

Schultz.

Disputatio

30/-

w/-

B

Schultz
P. 1.10.0.

90-

clw/-



*Ramulus ex nuce
progerminans.*

Nux integra.

*Binæ nuces uno
calyce tectæ.*

Nux Maci involuta.

Maci

*Testaceum et nuciproximum
integumentum.*

Nux Mosch. Mas.

Nuc:

Nuc: Regia.

44133 A.
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
NUCE MOSCHATA;

QUAM,
PRÆSIDE DĒO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,
M.D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima
Facultatis MEDICÆ decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Publico Examini subicit

NICOLAUS SCHULTZE;
Tangermund. Palæo-March.

Ad diem 9. JULII, loco horisque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILLIELMI vande WATER, Academiæ
Typographi, clc lc ccix

VIRI S

Nobilissimo, Excellentissimo, Experientissimoque,

DOMINO

D. BARTHOLD O
KRUGERO,

Medicinæ Doctori, Duc. Brunsv. &
Lunæburg Medico P.

UT ET

Amplissimo, & Spectatissimo,

DOMINO

JOSIÆ MOERDERO,
Camerario, & Mercatori Urbis Mag-
deburgi meritissimo, primario,

*Hanc Dissertationem Inauguralem
in grati animi signum*

dicat, offert, consecrat

NICOLAUS SCHULTZE.

VIRI HONORATISSIMI.



*N*ihil in rerum natura ingratitude, nihilque oblivione acceptorum beneficiorum hominibus gravius esse, jam dudum Ethnici cognoverunt, propterea ingratum si dixerunt, omnia vitia dixerunt. Maximum igitur existimo quæstum, memorem gratumque me cognosci. Meum dein officium esse putavi, si crimine hoc compellari nollem, Vestro nomini, Venerandi Parentes, hocce opusculum adscribere, quorum priori gratias ago, majores habeo, maximasque vero debeo pro fideli & Paterno erga me animo. Et certe amicitiam illam summam, quæ Tibi, venerande Domine Doctor, cum longe beato Parente meo fuit conjunctissima & plusquam fraterna, cum eo emori non passus es, sed amorem cum Parente fratrum commutasti erga me in paternum. Me quam fidelissime instruxisti in Praxi, pluribus donationibus ornasti, mihi omnia communicasti, omnia, quæ in adibus Tuis continebantur, communia obtulisti, & ut multa paucis complectar, me Tibi adoptasti filium. Tibi vero, Domine Moerder, Parens ad aeternum venerande, gratias ago, habeo, debeoque non minores. Tu enim post Deum mihi vitam conservasti, omnibus Doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri solet, me erudiri curasti, inque his annis, Moerderiana Domus, certe tot tantaque beneficia mihi à teneris unguiculis tribuit, ita ut amissos recuperasse Parentes viderer. Me per octo-decim annos in adibus vestris quasi natum agnovistis filium, & à vobis par vestris liberis ponebar, quos quoque fraterno amore usque ad terminum vitæ fixum prosequar. In summa ea mihi tribuistis, ut plura à Parentibus proficisci non potuerint, quæ immortalis quoque memoria retinebo. Vobis igitur primitias hæc summa cum observantia offero, quia mihi vires tot tantaque beneficia compensandi deesse plane existimo, æquum enim justumque esse arbitror, illos, qui arborem servare, primitias quoque colligere. Accipite igitur, neque spernite, illas, licet adhuc parvas, quia crescente arbore fruges forte non decrescent. Interea vero, ulteriori me vestra benevolentia ut porro dignari pergatis, obnixè rogat

Vestrorum nominum obstrictissimus

NICOLAUS SCHULTZE.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
NUCE MOSCHATA.
PRÆFAMEN.

Nuces veteribus admodum nociferas fuisse, notorium est, hanc ob causam illas non tam in usum culinarem, neque medicum, quam potius in usum politicum, trahebant. Quapropter olim nuptiis dicatae sunt, & si nuptiae celebrabantur, spargebant istas, quod Suidas hisce verbis testatur. Mos erat Athenis, quando novus sponsus novaque sponsa in domum inducerentur, dominum vel dominam suam spargere magnam nucum & caricarum copiam, quae catachysmata vocabantur. Ex qua vero causa hoc fiebat, variae prostant Authorum opiniones. Sunt, qui putant, quia nucleum dulcem multis integumentis munitum habent, aliquid divini intus contineri. Quibus innuere voluerunt, connubii interiora dulcissima esse, verum ad ejus dulcedinem & suavitatem tuendam, multa opus esse custodia, quae dura enim videantur, nec mutationem patiantur, perferenda, quae vero noxia, quantum possibile, avertenda, & quae alia plura inde elicere conantur, ea nunc attingere scopi mei non est. Alii aliam faciunt explicationem, ideo nempe id fieri, ut strepitu hocce impediantur, quo minus intimiora sponsi cum sponsa commercia ab aliis audiri possint.

sint, quali interpretatione utuntur plurimi Grammatici ad explicandos hos versus Virgilii,

Mopse, novas incende faces, tibi ducitur uxor.

Sperge, marite, nuces &c.

Nonnulli quoque sunt, qui comparisonem instituunt, seu aliqualem similitudinem, inter nucem & foetum, quia nucleus tribus operimentis munitus est, nempe calyce isto crasso, ramoso, & ligneo, ita foetus tot involucris, Amnio, Allantoide, & Chorion involvitur. Verum hæc omnia maxime de nuce juglande dicuntur, hoc testatur Varro sua spargendarum nucum ratione, ut Jovis nomine matrimonium celebretur, & nupta matrona sit sicut Juno. Noces enim in tutela Jovis posuerunt, unde Juglandes vocantur, quasi Jovis glandes. In sequentibus quoque de Nuce agitur, sed de alia, nempe Nuce Moschata. Veterum noces morbum causabant, nostra vero sanitatem, & est sane omnium elegantissima quoad colorem, mirabilis quoad structuram, nobilissima & commodissima ad usum medicum, ad usum culinarem. Comparatio, quam veteres instituerunt cum foetu, magis quadrat in nostra nuce, (si illos sequi vellemus) in hac enim non solum tres istæ tunicæ satis superque conspiciuntur, verum quoque præter hæc unam cum utero ipso comparare possemus, & quod magis est observavit D. Leewenhoek nucem hanc non aliter incrementum accipere, nempe ope ligaculæ, quam infans in utero. Ad hæc, nux veterum foetui maximum damnum maximamque injuriam inferre potest. Nostra econtra foetui foetusque fundamentis maxime prodest. Abjicite igitur, qui matrimonium inire vultis, nucem juglandem & facite nuptiis religiosam nostram, quippe ea ubique vobis erit proficua. Jam, qui nucleum esse vult, nucem frangat oportet, secundum istud Comici. In procinctu igitur sumus, ad istam frangendam, ejus interiora inspicienda, tam nucum, quam nucleorum, virtutes explorandas, ipsiusque patriam describendam, quantum pro modulo virium fieri potest. Scio equidem, nonnullos hinc inde de nuce aliquid scripsisse, nec me latet ista dissertatio ante multos annos de Nuce Moschata conscripta. Verum, quia optima mihi fuit in his terris occasio, in illam intimius inquirendi, dum singulas tere partes, quæ ad nucem ipsiusque arborem spectant, accepi & cum nonnullis ex India advenientibus ipse de hac nuce collocutus sum, spero me aliqua in hacce dissertatione allaturum quæ in altera ista non continentur. Eam ob causam elegi hanc materiam loco speci-

ciminis inauguralis, ad cujus inquisitionem Deus Ter Optimus, Terque Maximus, gratia sua mihi adfistere velit.

C A P U T I.

De Nucis Moschatæ definitione nominali & reali.

Non ère fore existimo, diu occupari in definitionis nominalis explicatione, quippe quæ non æque ad forum Medicum pertinet, & insuper in aliorum scriptis passim reperitur: eam igitur brevibus saltem attingam.

Vocabulum *Nucis* tribuitur plerisque fructibus cortice duro, fragili, & testaceo, nucleum includente, constantibus. Harum vero species sunt quamplurimæ, quas recensere in præsentiarum nostri non est laboris.

In genere *Nux* à *Nocendo* dicta videtur, quia, ut alii voluerunt, ventriculo & capiti, alii vero, linguæ noceat, vel, ut nox aërem, ita nux suo succo corpus atrum faciat. Consultius illi faciunt, qui quidem a *nocendo* nucem dictam esse credunt, sed saltem respectu dentium, quia dentibus, dum frangitur, noceat, aut, qui sata lædere credunt, hi utuntur recta ratione, quia sol nempe radiis suis istas plantas attingere nequit, ubi talis arbor sata est, qui calore suo omnes plantas fovere & ad crescendum aptiores reddere debet. Hinc, quia minus nutritrix magis vero noverca plantis est, propterea extirpatur ex hortis agrisque, aut ad minimum in eorum extremis partibus locantur, hinc Ovidius canit.

Quoniam sata lædere dicor,

Cultus in extremo margine fundus habet.

Græci appellant *κάρπρον*, non vero à fabulosa ista traditione Cassiani Bassi, qui dictam scribit, à *Carya* Dionis Regis Laconiae filia, à *Baccho* amata, ac in arborem sui nominis mutata, cum arctius à sororibus custodiretur. Servius in octav. Maron. Eclog. scribit, *Caryan*, quam amaverat, in monte eodem, in arborem sui nominis versam esse, quæ Latinis *nux* dicitur, quod postea *Diana* ita factum *Laconas* docuit, unde Templum *Caryatidi* *Dianæ* à *Laconibus* consecratum.

Alii hanc vocem à capite desumunt, quia nucem capitis effigiem referre volunt sua rotunditate, aut, quia capitis gravedinem inducunt, vel, quia caput lædunt umbra. Plinius scribit, *Nuces* Græcos à capitis

capitis gravedine appellasse: etenim arborum ipsarum foliorumque vires in cerebrum penetrant.

Plutarchus scribit, quod Spiritum gravem ac soporem incutientem exhalet, & lædat, qui sub ea recumbunt. Alii volunt, juglandem omnium primo cognitum fuisse, & ab ista omnes nomen trahere, dicuntque juglandem, quasi Jovis glandem. Cum homines diu glandibus essent nutriti, invenerunt tandem arborem nuces ferentem, degustato nucleorum sapore, has Jovis glandem propter præstantiam & excellentiam vocavere.

Quia vero nostra non est intentio, de istis nucibus juglandibus scribere, sed potius de multo nobiliori, quæ Moschata appellatur, relinquimus illam, & convertimus nos ad nostram. Moschata vero ideo appellatur, quia à reliquis nucum speciebus distinguitur. Moschus vero, significat illud ab animali Moschifero fragrantissimum odoramentum, seu excrementum, non solum, ut alii volunt, quia redolet Moschum, verum etiam, quia simili suavissimo odore prædita est, qui Moschi odori non cedit.

A nonnullis Myristica dicitur, & quasi nux unguentaria, uti quoque à multis appellatur, quia non solum oleum ejus frequenter in unguentis usurpatur, sed etiam tota fere oleosa est. Ab Hermolao appellatur Nux odorata, Ruell. Moschocaryon, Bandensibus, apud quos nascitur, quique optimas possident, Pala. Teste Hermann. à Germ. Muscaten Nufs, vel, uti alii pronunciant, Muscat Nufs, Belg. Noote Muscaten, quibusdam nux Indica, item Caryon myrepicon, veteres appellarunt Caryon, seu Carydion Indicon, Nux aromatica. Qui plura desiderat nomina, evolvat saltem memoratos autores.

Utut vero nuces medicinales hodie plurimæ sunt cognitæ, receptæ, & in usu, quæ tamen maxime discrepant ab ea, qua de nos jam scribimus, ita quoque notæ sunt istæ diversæ species nucis nostræ Aromaticæ, quarum à nonnullis duæ, tres, ab aliis vero plures, numerantur.

Unum genus figura dicunt esse olivari, alterum longius minusque rotundum, aliud omnium maximum & minimum habent, & nescio quot plura genera, tandem vero numerant Sylvestres, harum vero omnium specierum in sequentibus mentionem faciam, simulque inspiciam, quod admittendum, quod vero removendum sit. Quia vero nux Moschata illa pro optima habetur, quam ordinarie in usum medicum & culinarem recipimus, & quæ vulgaris appellatur, propterea de ista in specie agere volumus.

Est itaque nux Moschata nucis, arboris Nuciferæ aromaticæ in Banda Insula nascentis, nucleus, olivæ magnitudine, extrinsecus rugosus & cinereus fere, intus venis spadiceis sine ordine interpolatus, oleosus, fragilis, sapore subadstringente aromatico, odore grato, fragrante.

Genus est nux, illaque aromatica, in toto terrarum orbe celeberrima, notissima, quo recentior, eo succulentior & fragrantior, nux Moschata Bandensis hodie proveniens, saporem aromaticum habens sine pari, nux ista privative sine illo cortice superiori pulposo, pulvinaceo, ut alii volunt, qui saltem parum habet de his dotibus, ita & cortex iste ligneus multo minus de his possidet, qui quoque insipidus est.

Ipsa arbor non uno conceptu analogiæ ad alias comparata describitur, tam altitudine, quam magnitudine, figura, aliisque. Nonnulli æquiparant pyri magnitudinem, alii nucem juglandem ferentis, alii dicunt, illam esse mediocrem, ligno poroso, inodoro, Persicæ foliis, cum quibus vero non conveniunt, hoc ex Icone ad vivum expressa, & autopsia, optime patet, de quibus in sequentibus plurima erunt notanda.

Verum enim vero commerciorum hodiernorum longe alia est ratio, ita ut jam felices simus in iis inquirendis, quæ non data erat veteribus, partim in defectu horum, partim propter nimiam caritatem.

Nos quoque non latet, arborem istam à nonnullis præclaris & admodum eruditis viris referri ad pruniferas, inter quos quoque & iste eruditissimus & in re herbaria expertissimus Rajus est, qui non sine fundamento hæc ad pruniferas numerat, quia arboris hujus flores contigui sint, nucum vero non, hinc, quia tali putamine sunt tectæ nuces, ut pruna, & denique, quia lanuginosæ.

Quia vero prunorum lanugo seu integumentum pulposum proprie sic dicitur, & quasi lanæ cujusdam molliem significat, propterea optime illis hocce nomen tribuitur. In nucibus vero nostris aromaticis hoc non æque obtinet, quia ipsius pulposum integumentum multo crassius densiusque est, deinde pruna non triplici integumento tali sunt obducta, statim post lanuginosam & corticosam substantiam deprehenditur nucleus, in nostra vero post corticem densum sequitur alius notabilis, nempe macis, post hunc, ligneus, nuces vero omnes ejusmodi tribus integumentis sunt circumdatæ, licet istud involucrum, quod durum corticem in aliis nucibus obcingit, non reticulatim positum sit,

fit, tamen apparent filamenta quædam, in nucibus præprimis recentibus, ubi tale quod invenitur in prunis? hinc & nomen, & triplex cum nuce involucrum commune habet, ut aliarum rationum non mentionem faciam, propterea mihi, eo melius illas ad nuciferas referendas esse, videtur, saltem quoque ad ideam melius concipiendam, in quo vero unicuique suam philosophandi libertatem relinquere volumus.

C A P U T II.

De origine, differentiis, aliisque Nucis Moschatæ.

His præmissis, nunc de origine & differentiis ipsius Nucis Moschatæ agere volumus. Trahit itaque hæcce arbor omnino originem suam ex genere arborum, &, pro placito quo ad characterem, nucleis scilicet aromaticis præditarum. Hæc vero, utut in Indiæ Orientalis non uno habentur loco, ita quoque non undique & in omnibus ejus locis invenitur.

Locus illarum natalis est sola India Orientalis, verum non universa, sed in hac præprimis est Banda Insula fertilissima, in quot insulas vero Banda dividatur, non conveniunt Auctores inter se, alii dicunt in tres, alii in sex, alii in novem, an quoque has ad Moluccas numerandas esse, necne, illud Geographis relinquo: secundum omnium opinionem hoc in loco, nempe Banda, fertilissimæ sunt arbores, ita ut bis & juxta nonnullos ter in anno, prout nempe tempestas illis arridet, colligi possint.

Hæcce vero arbor habet Corticem cinereum, Lignum medullosum, medullam vero ex fusco rufescentem, magnitudine, ut nonnulli volunt, pyri, aut mali, juxta nonnullos, arboris nucem juglandem ferentis, quam accurate describere non possumus.

Maximil. Transylvan. de Moluccis Insulis scribit, Nucis myristicæ arborem proceram amplamque esse, fructumque ferre admodum nuci juglandi similem.

Notandum, Lignum Nucis Moschatæ arboris admodum spongiosum esse, nullam vero habere peculiarem cavitatem, ut alii volunt, minutissima vero apparere vasa hinc inde tubos quasi ligneos circumdantia, quibus arbor incrementum capit, in istis vasis Horizontaliter discissis deprehenditur materia rubra & subflava, materiæ oleosæ nuci non absimilis, ita ut ab ista materia vasa appareant

rubricunda, uti hæc omnia accuratissime D. Leeuwenhoek. observavit.

Folia a nonnullis æquiparantur foliis arboris nucem juglandem ferentis, a nonnullis Persico malo, brevioribus tamen & subrotundis foliis, teste Clusio. Alii pyri foliis similia esse putant, quæ tamen, quia multo tenuiora latioraque sunt, minime cum istis conveniunt. Illi proximius veniunt, qui putant, convenire aliquo modo cum laurinis, præ primis cum illius lauri cerasi foliis. Nucis Moschatæ folia vero non sunt in ambitu serrata, ut illius lauri folia, sed sunt integra, hinc Mathiolus errat, cum folia icone serrata proponit, brevi pediculo nitentia, quibus e ramis dependent, læte viridia, splendentia, subrotunda, in postica parte cinerea, notata unico nervo cum plussculis venis per longitudinem folii oblique decurrentibus. Præterea, vix conspicuæ propter crassitiem folii venulæ, in interstitiis ramulorum seu nervorum lateralium sunt sparsæ. Hæc non solum, dum recentia sunt, suavem & aromaticum spirant odorem, sed etiam, licet per multos annos sieca fuerint, tamen offerunt, si paululum tractantur & terantur, istum nucis Moschatæ convenientem odorem.

Illa arbor, qualis jam est, nullam exposcit secundum nonnullos culturam, progerminat n. ut ceteræ nuces ferentes arbores, nux nempe leviter terræ tantum concredita germen suum profert tenellum, in tantam tandem arborem excrecens, de quibus in sequentibus. Putarem vero, non omnino culturam esse abjiciendam, licet non tanta esse debeat, ut in nostris tenellis arboribus, videmus enim, semper aliquid adhærere arboribus, quod abradendum venit, & si hoc in fertilissima arbore omittatur, sterilis facile fieri potest, quod hortulanis maxime notum est.

Hæc jam nuces Moschatas ferentes arbores, vel sylvestres sunt, vel non sylvestres: harum vero non sylvestrium, a multis plurimæ, ab aliis pauciores, numerantur species, plurimi numerant primo arborem, quæ vulgares fert nuces ad usum medicum & culinarem aptas, deinde quæ nuces mares fert, quæ simillima nuciferæ vulgari est, per omnes vero partes major, majora habet folia, quam foemina, sunt crassiori pediculo prædita, juglandis folio similia, interdum pedis Romani longitudine, trium unciarum latitudine, neque harum nuces ex gemmis arborum nascuntur, ut vulgares, teste Neuhofio, qui ita scribit, *De Manneken schieten niet uit de koppen der takken, gelyk der gemenen, maar aan de uiterste enden der takken*, fructus iisdem constat corticibus, quibus

bus vulgaris, in iisdemque locis nascitur, teste Hermannō, qui ita pergit, negligitur vero ab incolis, neque excolitur, ut vulgaris, hinc fructus raro colliguntur & ad nos transferuntur, ex his omnibus clare cultura ista apparet, qua de pauca in antecedentibus feci verba.

Wormius addit aliam speciem, quam vocat regiam, magna vero hic oritur confusio ex Autorum descriptionibus, nonnulli hanc appellant arborem regias ferentem, quæ omnium maximas fert, alii, quæ omnium minimas fert, alii confundunt regiam nucem cum fœmina, & sic porro.

Clusius aliam speciem narrat, quæ fructum vix maturum fert, scribit enim, audio in montanis Insulæ Bandæ illam arborem etiam nasci, sed fructum vix maturitatem consequi, eam ob causam illius nucem negligi, quum asservari nequeat, brevi teredinem sentiat, & duntaxat legi, ut macis adimatur & cum ista corrumpatur recta macis. Alii iterum volunt, tales arbores crescere in Moluccis & Zeilon, sed steriles.

Alii vero sunt, qui saltem unam agnoscant speciem, & putant hanc omnis generis nuces ferre. Hinc curiosus quidam, ex India veniens, interrogatus, quot species arborum nucem Moschatam ferentium daret, unam esse, responso dedit.

Nuper quoque conveni alium curiosum, qui jam Lugduni vivit, & satis diu in India orientali demoratus est, qui simul affirmavit, unam saltem esse speciem, quæ illas omnes proferat nuces. Nullum vero legi Autorem, licet nonnulli quoque in istis locis fuerint, qui hoc affirmat. His dubiosis relationibus absolute fidere non satis tutum est. Respiciamus paululum ad relationem Domini Hermanni Profess. meritissimi (qui quoque in India, & præprimis in Insula Ceylon, ubi istæ arbores sylvestres crescunt, fuit) quid in istis observaverit.

Ille scribit, Nucis Maschatæ sylvestris tres species a me fuerunt observatæ, quarum auctores nullibi fecere mentionem. Arbores sylvestrium cum vulgari plane coincidunt crescendi modo, sed omnes saporis & odoris expertes sunt.

Prima species oblongum fert fructum, Nuci Moschatæ mari simillimum; altera oblongo-rotundos fert fructus, cujus macis, seu interior tunica, quæ interiori cortici incumbit, integra est, non ramosa seu reticulata maci aromatico tenuior. Tertia species rotunda est, & nucibus vulgaribus longe minor, cerasi magnitudinem vix excedens; hujus etiam macis integra est, ut in prioribus. Nascuntur hæ sylvestres nuces in

Malabaria & Ceylonia insula, sed, quoniam omnis odoris & saporis sunt expertes, in usu medico non sunt.

Si jam sylvestres tres possident species, cur non quoque cultæ, præprimis, cum istæ descriptæ species nucum sylvestrium accurate conveniunt cum illis, quæ ab cultioribus istis arboribus proferuntur, qualem enim habent prærogativam istæ sylvestres præ reliquis, nonne in his natura æque ludere potest, quam in illis? Concedere igitur volumus istas tres species, usque dum certa quædam relatio, vel nostram opinionem stabiliat, vel eam clariorem reddat.

Illud equidem verum est, quod illæ narratæ species non omnes revera reperiantur, sed in hoc errasse puto multos, si nucem viderunt paulo majorem, vel minorem, statim earum novam sibi finxerunt speciem, quod tamen potius luxurianti naturæ adscribendum venit: hoc quoque videre est in nostris nucibus juglandibus, ubi simul & majores & minores crescunt in una arbore, licet extra dubium sit, quod apud nos arbores nuces juglandes ferentes sint, quæ magnas ferant nuces, aliæ multo minores. Sic quoque sufficiant illæ species, ex quibus usualis seu vulgaris, mas, & regia, juxta alios foemina, proveniant, inter has satis magna differentia est conspicua, quæ species quoque, uti antea dictum est, inter sylvestres reperiantur.

Flores arboris sunt similes pyrorum, vel pomorum, sunt conflati ex quinque albicantibus fimbriatis petalis, teste Hermanno, adstant ramorum articulis brevissimis petiolis. Munting putat, similes esse cerasorum & pomorum floribus, qui vero non gratum admodum habent odorem. Piso scribit, parum fragrant flores, & post paucos dies decidunt, his defluxis succedunt

Fructus, seu nuces, pomi Armeniaci, seu Persici, vel quoque nucis juglandis, magnitudine constantes, circa pediculum nonnihil turbinatæ, triplici tunica seu operimento cum nucleo rotundo medio incluso. Tunica, seu integumentum illud exterius primum, est crassum, villosum, fungosum, & quasi pulvinatum, molle equidem, sed satis densum, ut in juglandibus & castaneis, coloris viridantis.

Garcias scribit, per maturitatem dehiscere putamina superiora calycum echinatorum, qui castaneas amplectuntur modo. In isto calyce reperiantur, sed rarius, gemelli, verum reperi aliquando tres aut quatuor in uno calyce, de quibus quoque nonnullas inter alia exotica possideo, quæ vero rarissime inveniantur.

Iste calyx superior sulco quodam per medium currente præditus est, simili

simili modo, ut nuces juglandes, ille sulcus dividit fructum, seu putamen superius, in duas partes æquales, verum non sine exceptione, prout enim in eo contineantur nuces, incurvati sunt isti sulci. Harum nunc binæ, ternæ, quaternæ, pluresque conspiciuntur, uno crasso pediculo simul nexæ.

Quando jam maturefcit fructus, fiunt flavæ purpureæque maculæ conspicuæ in isto calyce, quæ pro signo maturitatis ab incolis habentur, de quibus infra.

Carnosum hoc operimentum à Bandæ incolis fere negligitur, nisi aliquando viridi cum sale & aceto eo vescantur, quoniam grati & adstringentis gustus est, teste Acoſta, aut addunt cibis, quos reddit gratiores gustui, teste Vagelio. Hanc ob causam fallitur Cæſalpinus, qui scribit, nihil obſtare, si diceret, extimum Nucis Moschatæ corticem apud Dioſcoridem appellari Narcaphthum, quod ad suffimenta odorata assumitur. Verum hic multum obſtare puto, hoc enim omnes, qui in India fuere, demonſtrant; ad hæc cortex ille Nucis Moschatæ exterior non poſſidet tantam vim aromaticam, hanc ob causam negligitur ab incolis, quam Cæſalpinus de ſuo Narcaphtho narrat.

Hocce denſum operimentum, si maculæ iſtæ purpureæ conspicuæ ſatis factæ ſunt, & fructus maturus eſt, dehifcit, ea in parte, in qua ſulcus illud dividit, plane ut in caſtaneis & nucibus juglandibus, & oſtendit alterum ſub eo latentem corticem, qui duriorẽ & ligneum iſtum reticulatim certis in locis ambit, & pertinacius circa pediculum hæret, alioquin liber, ubi levi appreſſione facile avellendus: hic admodum rubentem & elegantem in principio habet colorem, ſed, si ſaltem per paucas horas aëri expoſitus fuerit, ſtatim elegantiam amittit, & ſic ille rubicundus in flaveſcentem abit colorem.

Hicce cortex apellatur a Serapione Biſbeſe, ab Incolis Puna palla, teſte Garcia, a Belgis foeli; a Mercatoribus foli, a Latinis Macis, a Germanis Muſſcaten Bluthen, Muſſcaten Blumen, ſed male apellatur ita a Germanis, quia certe nihil minus eſt, quam flos, ſed potius membrana, ſeu medium nucis operimentum, præfertur, qui ſit coloris quaſi fuſci, deterior eſt niger. Avicenna inquit, Macis eſt ſimile quiddam foliis geminis duplicatis ſeu involutis ſiccis, vergens ad rubedinem, & citrinum colorem, ſic ut cortex, & lignum, & folia mordicent linguam, ſicut Cubebæ, videtur vero Avicenna ejus inter partes confundere macim cum macere, neque cortex ſuperior, neque ligneus, ullam mordacitatem habent.

Hermolaus scribit, macis cortex est rubens, radicis magnæ, verum macis, ut hic videndum, non radicis, sed nucis odoratæ, cortex est & involucrium.

Cordus scribit, esse exteriorem corticem, cum tamen medius sit, videtur itaque, Cordum deceptum fuisse Avicennæ scriptis, qui maceris vires cum viribus macis sæpissime confundit.

Cæsalpinus scribit, fructum ante maturitatem circumdari instar florentis rosæ, quæ postea perfectam nucem complectatur undique, quod vero falsissimum. Hic ex Matthioli Icone concluderem, Matthiolum eandem habuisse opinionem.

Ludovicus Romanus Nucis Moschatæ Historiam sequentibus tradit: Myristicæ nucis caudex Persico caudici similis, ramos foliaque consimilia producit, verum nonnihil angustiora, priusquam nuges hæ percoquant, sepit arborem mastix florentis rosæ instar, & ubi nux percoxerit, mastix eam amplectitur: ex his dilucide apparet, Ludovico Romano non bene cognitum fuisse macis crescendi modum, quem male vocat Mastichen.

Verum omnino illos excusatos habere debemus, quia quasi pertransennam viderunt ea, quæ jam intimius intueri & considerare possumus.

Macis hic reticulatim putamen ligneum ambit, qui ante plenam maturitatem ab incolis decerpitur, sale & aceto maceratur, mensæque primæ inter condimenta apponitur. Quando vero maturuit, vel ad solem, vel in defectu hujus ad ignem siccatur.

Datur quoque Macis albus, cujus neque Practici neque in re herbaria periti ullam fecerunt mentionem; plurimi putant eorum albedinem inde provenire, quod non satis prospere creverint.

Dominus Leeuwenhoek illos armatis oculis conspexit, observavitque animalculum album volatile in istis floribus, seu Maci, haud absimile tineis, corpus pellucidum, & oblongum habens, modo majus, modo minus, in aliis plura, in aliis pauciora, nonnulla corporibus rubicundis, binis cordibus & quasi pilis obsitis, in parte oris binæ dentium instar forfices erant locatæ, quarum ope folia macis consumit.

Hi vermes, materiam oleosam intra has membranas, tenuium nempe & oblongorum foliorum, contentam, exedunt, postea evadunt ex illis, illæsa membrana, in qua oleum erat inclusum. Hinc facile concludendum, undenam macis albus veniat, quia nempe ex illorum membranis materia oleosa esteducta, & consumpta, ita ut membranæ solæ

læ relictæ sint. Objicere quidem possunt illi, qui macim album viderunt, observaruntque in illorum extremitatibus colorem rubrum, semper apparere, si hoc verum foret, vermes istum colorem album causare, tunc certe totum macim, album faceret. Confirmantur quoque, si viderint, macim album hinc inde rubicundis particulis præditum. Sciendum vero est, prout vermiculi materiam oleosam inter membranas contentam consumplerint, apparere vel macim hinc vel inde magis vel minus album, omnino itaque accipiendum est, Vermes macim album causare posse.

Dantur quoque nuces, sub quarum calyce denso nullus reperitur Macis, hoc vero inde fieri putant, quando, præpopere tumescente nuce, reticula disrumpitur & perit, antequam firmari justa crassitie ac pinguitudine potuit, teste Pisone, hoc quoque testatur Neuhofius.

Hinc Macis corrumpitur sæpe ab ipsis Indis; cum ab istis sic dictis, *rumpis*, maribus, & aliis, decerpant macim, illumque misceant optimo, inde facile fit, si iste rumporum macis, qui inde nomen trahunt, quod à vermibus sint erosi, optimo maci misceatur, ut inde vermes etiam ad optimum macim abire, ibique materiam oleosam aromaticam consumere, possint.

Macis, qui Nucem Moschatam marem amplectitur, licet adspectu jucundissimus sit, tamen multo debilior est ejus vis aromatica, inde ab incolis nullo habentur pretio, & numerantur saltim inter arbores sylvestres, teste Neuhofio.

Huic involucro subjacet aliud durum testaceum, corticosum, ex spadiceo rufescentis coloris, lignosum quasi, nullo nec sapore, nec odore, multis sulcis hinc inde apparentibus, hocce immediate nucleum rotundum, solidum, albicantibus & spadiceis lineis, seu figuris, reticulatim interpolatum, includit.

In hocce cortice duro duo sunt distincta foramina, quæ sibi mutuo adjacent, unum sine dubio ad corticem, alterum vero, uti videtur, ad alendam nucem, hoc affirmant ista vasa, quæ ibi apparent, quæque nuci alendæ inserviunt, hæc posita sunt in superiori parte hujus corticis instar ligularum mere vasculosarum, vasa ista tendunt omnia ad partem istam auctam, ibique corticem durum penetrant, & tali modo alitur nux, hoc apparet quoque inde, quia nux naturaliter nulla alia parte cortici est adjuncta, quam in hac, uti hoc Leewenhoeck. Observavit; ille trajecit acicula corticem istum ligneum durum, ea in parte, quam ligulæ penetrant, hinc aperto cortice, in ipsius interio-

ri partē, ubi acicula erat trajecta, quandam protuberantiam observavit, in nuce vero, ea in parte, qua connexa erat cum ista protuberantia, aperturam quandam, & supra hanc aperturam locum, ubi ligula ista nuci fuit affixa, hæc vero ligula facile abrumpitur, præ nucis & ligulæ ariditate, cortex ligneus non adeo contrahitur, multis de causis, quia non adeo succulentus, porosus, est, inde fit, si nux adhuc contineatur in isto involucro lignoso & agitur, ille sonus.

Clusius putat, quando nux satis est siccata, tunc corticem illum durum dehiscere, quod vero ita se non habet, tantum enim abest, ut sponte secedat, ut potius vi aperiri debeat, quod ab omnibus inde venientibus satis superque audiui, ligneo isto integumento aperto apparet statim nucleus, qui aliquando cortici adhæret, aliquando non, majore minor est, qui proprie a Germ. Muscaten Nus appellatur Belgis Nooten Muskaaten. Hæc nuces differunt multis modis. Illa enim, quæ a nonnullis fæmina, ab aliis vulgaris, ab aliis nobilis appellatur, est quæ in officinis & culinis adhibetur, habet figuram olivarem, coloris est fere cinerei, rugosa extus, intus multæ spadiceæ venæ & ex flavo albicantes lineæ undatim vel sine ullo ordine hinc inde discurrunt, non difficulter in frustra dissilit, differt quoque ab ipsis vulgaribus, una enim alteram bonitate superat.

In Insula Banda præfertur, quæ vernali tempore colligitur, quæque ponderosa est, recens, pinguis, extus cinerea, intus ex fusco subrubra, non verminosa, sed densa, bene compacta, acque puncta oleum emittens, odorem & saporem aromaticum, acrem, jucundum, habens. Plerique habent pro nota bonitatis lineas istas albas, quasi aliquid causarent ad bonitatem: crediderim potius, quo majores istas lineas, eo deteriores nuces, magnitudo enim illarum albarum linearum diminuit magnitudinem venarum oleum vehentium, & si examinarem, cur mares ab incolis minimo habeantur pretio, certe non inter minimas illam reperiremus causam, quod sicciores sint, & hoc fit, quia in istis venulæ oleum vehentes admodum sint parvæ, materia vero ista alba abit in pabulum vermium, hinc vermes semper istam exedunt integris venis, ut in sequentibus patebit, sed potius optimarum nota est, in quibus insunt literæ multæ Arabicæ secundum Hofmannum, quod tamen accuratius de mare dicit, leves & siccæ sunt omnium pessimæ.

Sequitur jam Mas, hæ nuces longe majores sunt & longiores, non ex gemmis (ut tradunt) sed extremitatibus ramorum nascuntur, hæ
ab

ab Incolis Pala-Java, teste Neuhof. a Bandensibus Pala-Metsiri, a Belgis *Mannetjes Nooten* appellantur.

Piso scribit de Pala-Metsiri, seu nuce Moschata mare, quod nempe nomen a plebeculis acceptum habeant, quæ sibi persuadent superstitione aliqua, nucem in cibis viro datam potenter eos ciere in venerem & facere solito strenuiore. Nieuhof. pariter in his consentit cum Pilsone, scribit enim: *Wat den naam van Mannetjes noot aangaat, dien hebben ze van 't gemeene volk, die voor vast gelooven, dat de langwerpige nooten der Mannen, als ze die in de spijs gebruiken, het zaad verwekken en vermeederen.* Harum vero forma est oblonga, sæpe fere quadrata, aliquando rimam habent magnam & satis profundam, coloris sunt obscurioris, saporem habent longe debiliorem, hæ, quantum fœminis majores, tantum etiam debiliores, pauperioresque oleo sunt, & hanc ob causam in affectibus ventriculi & capitis commodiores habentur à nonnullis. Bauhinus scribit, eam esse gustu adstringente, odore fere nullo, cariosam magis, minus oleosam, affectibus ventriculi & capitis commodiorem.

Verum Joh. Bauhinus putat, quod illa varietas maxime oriri possit, præter magnitudinem & figuram, quam habent, ex vetustate aliqua, nam, quia rariores, solent diutius asservari. Deinde putat, si odore nullo sint, & cariosæ magis, quomodo ad prædictos affectus possint esse commodiores, statim vero se refutat verbis Rondeletii, cum ita pergit: Verum Rondeletius olim pro roborando ventriculo prætulit eas nuces, in quibus minus sit oleositatis, sicciores & magis exsuccas, alias, quæ multo oleo refertæ sunt, facile ructus movent, & hoc verum est, possident quoque insignem vim narcoticam priores.

Dodonæus scribit; illæ nuces majores ab Incolis Insulæ magis æstimantur, quam à nostratibus, putat ergo, illas nuces majores significare nostras nuces mares, Neuhofius vero præter mares aliam narrat speciem, nempe majorem vulgaribus, sed hæcce provenit ex vulgaribus, reperiuntur sæpe tales inter illas, quæ ad nos transportantur.

Hæcce nux, quæ sub nomine maris venit, licet in India negligatur, tamen in nostris regionibus in majori habetur pretio, & fere triplo majori, quod certe mirandum. Hoc nonnulli inde fieri putant, quia exportari non debent. Inde Vogelius scribit: Es ist Durch order der Edlen Ost-Indianischen Compagnie verbothen, das niemand sich unterstehen mag einige dergleichen Mânnlein Muscaten mit in Patriam zu fûhren, weilen wie man saget viele schelmerey damit getrieben wird.

In nostris regionibus vulgus has prioribus præfert, qua vero ratione, comprehendere nequeo, forsan ob nominis elegantiam, quia mares vocantur, & inde quia genus masculinum nobilius fœminino, aut quia mas imperat fœminæ.

Sunt, qui putant, Nucein Moschatam marem sympathiam cum homine præprimis masculo alere, quæ, gestata ab illo, non solum vigorem retineat, verum succulentior reddatur. Paulinus in sexu sequiori contrarium & quasi antipathiam observavit, scribit enim, hanc nucem, à Cachectica Scorbutica quadam virgine gestatam, per aliquot mentes, omnem calorem pondusque suum amisisse, totamque factam fuisse porosam. Hinc Vogelius, die Mânnelein Muscaten haben keinen geschmak, quod vero falsum, habent saporem, sed debiliorem, und dürffen bey den andern nicht liegen, weilien die selben da von verderben. An hoc verum sit, illi dicant, qui illud experti sunt.

Jam ad Regias, hæ omnium sunt minimæ, in una parte rotundæ, in altera planæ, de his & præcedentibus ita scribit Vogelius: Essind dreyer ley arthen Muscaten, als die erste, die zu der speisen gebraucht wird, die andere arth ist etwas länger, und werden Mannlein Muscaten genennet, wachsen auf absonderlichen baumen. Die dritte arth ist auf der einen seite plat, auf der andern rund, wie eine halbe Muschate, die selbe nennet man weiblein. Cum eo sentit Hofmann. in Clay. ad Schroed. saltem in his differt, quia illas, quas Vogelius fœminas, Regias appellat. Scribit enim, tertium genus Regium dictum, minutum rarumque, succulentia tamen & odoris fragrantia majores superat, ovalis est figuræ, & reliquis similis, nisi quod magnitudine vix grandius piso.

Et verum est, dari ejusmodi nuces, quas ipse cum reliquis speciebus possideo, illud æque verum est, istas non semper talem habere formam, sed modo in uno latere planas, modo quoque undique rotundas esse.

Sunt, qui *Rumpos* ad singularem revocant classem, an illud vero jure fieri possit, hoc aliis judicandum relinquo, & ipsi, qui illas ad specialem classem numerant, se confundunt, dicunt enim, istæ Nuces Moschatæ, si ante maturitatem decerpantur, fiunt cariosæ, fiunt *Rumpi*.

Sylvestres ita dictæ habent simillimas venulas, sed crassiores, sive latiores, magis rubentes, quasi excavatas, ac si vermibus essent erosæ, cujus macis, seu interior tunica, quæ nempe interiori cortici incumbat, integra est, non ramosa, seu reticulata, maci aromaticæ tenuior,

nuier, ex flavo rubescens, testaceus ille, est multum tenuior, fragilior illo, qui vulgares tegit, nullum habent saporem, nec odorem, propterea quoque non in usum trahuntur, neque est inde quod multa de illis dicam.

Omnes hæ nuces vermibus facillime corrumpuntur, siue sint maturæ, siue immaturæ, siue mares, siue foeminæ, cum illa tamen differentia:

Nuces, quæ maturæ sunt, si verminosæ fiant, tota quidem illa substantia albicans interna exeditur istis vermiculis, venulæ vero, in quibus istud oleum continetur, manent illæ, ita ut illæ venulæ illæ quasi labyrinthum repræsentent, jucundissimo sane spectaculo, certo indicio, oleum hoc in venis contentum repugnare vermium Naturæ.

Illæ vero nuces immaturæ arboribus decerptæ, & *Rumpi* vocatæ, totæ incibum cedunt vermibus, sine dubio, quia materia oleosa non tam potens, sed potius immatura, inodora, impotens fuit illis resistere. Magnitudo & multitudo illarum differt, in his enim plures minoresque, in aliis pauciores & majores inveniuntur.

Dictus Leewenhoek inspexit nuces paulo minus perrosas, hinc reperit in hac unum, in illis binos, & in aliis tres, vermiculos, inter quos minimum deprehendit vix granum arenæ æquantem: ulteriorem si expectamus descriptionem, apud dictum Autorem videre est.

Mirum quoque est, quod nulli acari sint reperti in nuce ista, cum tamen rarissime res inveniantur, in quibus non esse solent: dictus D. Leewenhoek non solum nullos deprehendit in illa, verum observavit quoque, illos nucem myristicam fugere, de quibus in sequentibus.

Notandum quoque, numquam ejusmodi vermes inveniri in maci, qui sunt in nuce Moschata, & qui in nuce sunt, aliam habere texturam & naturam, ab illis, qui maci delectantur.

Perforant vero vermes nucem in illa parte, quæ cæteris mollior est, & ubi petiolus adhæret, quasi bene scientes locum, ubi minimas vires intendere debent, alias illis opus esset viribus ad perforandum tam durum ligneumque corticem. Plerumque fit, ut in istis exesis nucibus nullus reperiatur vermis, quod multi mirati sunt, sed aliquando non sufficit materia, qua vermiculi vescantur, ad illum plus ultra alendum, propterea cogitur ex tali nuce migrare alibique nutrimentum sibi quaerere.

Arbor nucem Moschatam ferens amat calorem, fundumque calidum,

dum, inde Excellentissimus ille Botanicus Munting terram sequenti modo præparare jussit, nempe ex arenæ partibus duabus, putridorum foliorum, putridarumque medullarum arborum partibus tribus, stercoreis canini, equini, parte una: in tali fundo conservavit ille ejusmodi arbores, trium digitorum crassitiem habentes, & quatuor pedum longitudinem, e cætero, aqua, qua humectari debent, non frigida, sed calidiuscula, eaque moderate affundenda, locus sit temperate calidus, apertus, lucidus, ventis liber.

C A P U T III.

De crescendi & colligendi modo.

Arbores hæ toto fere anno virent, florent, & fructum præbent. Munting scribit, has arbores semper quidem virere, sed multa folia in hyeme decidua fieri, florere vero tribus temporibus, ita ut semper in istis conspiciantur nuces maturæ, immaturæ, & advenientes. Alii alia habent tempora, de his vero temporibus nihil certi concludendum est, maturitas enim fructuum, & tempus florendi, se accommodat tempestatibus, tamen tempus vernale est præferendum. Quibus vero temporibus istæ nuces maturæ fiant, maxime variant Auctores. Alii eligunt Aprilem, Augustum, Septembrem, ut Neuhof. alii adjungunt Majum, ut Schurzius, alii Aprilem, Augustum & Decembrem, ut Beverovicus. Hermannus vero observavit, communiter legi bis in anno, mensibus scilicet Augusto & Martio. Hæc Hermannii sententia confirmatur Auctoritate Pisonis, cum scribit, vindemia prima fit in Augusto & Septembri, altera Martio, prout faverit tempestas cæli. Ad hanc tamen maturitatem observandam, maxima diligentia opus est, color enim roseus macis ad carpendum peritos intempestive invitat, & decipit illos, quod immaturos decerpant, hinc vermibus facillime corrumpuntur.

Certissimum vero maturitatis signum esse putant, quando calyx superior mitior maculosiorque redditus macis suo hiato in conspectum det, hicce macis tunc lutescit, qui antea admodum rubicundus erat, & sua sponte à cortice, cui incumbit, secedere incipit, tunc eximenda est cum maci nux jam perfecta, matura.

Eo tempore appropinquant nonnulla animalia volitantia, modo majora, modo minora, easque devorant, quas iterum integras per alium reddunt, hæ redditæ citius germinant quidem, arbores vero inde

de exsurgentes corruptioni facillime sunt obnoxia, fructumque ferunt multo viliores, quibus incolæ solummodo macim decerpunt ad adulterandam meliorem. Et, licet multæ variæ aves hunc fructum depascantur, tamen hoc facit præprimis certum genus columbarum, quæ plerumque albæ sunt, teste Pisone, hæ omnes nomen inde acceperunt Nucivorarum Germ. Muscaten Fresses, Nuss Fresses. Belg. Neut-eeter.

Daniel Partheisch narrat aliud genus avium in der neuen Jærhigen Reise beschreibung, his verbis, In der Insel Banda werden etliche Vögel gefunden, ein wenig größer als eine taube, und schwarz grau von federn, wen solche Vögel die eusersten schalen von dieser frucht gevressen haben, so lassen sie die Muscaten heraus fallen, und, wo sie hin fällt, und unter die Erde kombt, so soll da von ein baum wachsen.

Hæc quoque habet Vogelius in Itin. Indic. Oriental. qui ita pergit, Wan dieser ihr fleisch gegessen wird, hats gantzlich den geschmak, als wen man Muscaten esse. Verum hocce fabulosum addit. Ist nun der Vögel, welcher die Muscaten hat fallen lassen, ein Männlein, so wächst ein Männlein Muscaten baum. So er aber ein Weiblein, so wechslet ein Weiblein Muscaten baum; wan er aber ein Vogel ist, so sie noch nie mit einem Männlein oder Weiblein gepaaret, und also noch Jungfer ist, so wechslet einer von den besten Muscaten baumen. Videtur vero hæc excogitata fabula ad illas tres species sibi melius imprimendas.

Neuhofius vero scribit, arbores, per aves sic propagatas, non tantæ vivacitatis esse, macim enim, uti & nuces, bonitate reliquis cedere.

Ejusmodi ramulum ex nuce productum, cui adhuc nux, è qua radix jam progerminavit, & truncus arboris exsurgere cœpit, cum enatis foliis possideo, quem ad vivum delineare curavi, longitudinem habet pedis cum una uncia, crassitiem habens fere pennæ anserinæ, cortex est coloris cinerei, pars ejus superior est longe tenuior inferiori, &, si à superiori cortice paululum abraditur, color apparet ex fusco rufescens, folia huic ramulo non serrata sed integra inæquali serie adherent, in una parte sunt obscure viridia, tere ad fuscum tendentia, ut pleraque folia arida & sicca, in altera parte cinerea per medium recurrente nervo, excurrunt alii tenuiores minoresque nervi ad folii latera, eodem plane modo, uti supra descripta sunt.

Hæ nuces jam, si collectæ sint, à putaminibus seu nucamentis ex-

terioribus liberantur, nux, quæ maci suo tegitur, paululum exsiccat ad solem, vel ignem, tunc macis à cortice separatur, nucleus ipse, qui nux Moschata appellatur, ex cortice suo testaceo duro eximitur, ille in aqua calcis abluitur, ne à vermibus facile corrumpatur. Hic vero notandum, si incolæ istius Insulæ vasa, in quibus nuces componuntur, sulphuris odore bene inficerent, non invenirent tantam nucum perforatarum copiam.

Putat quoque Leewenhœck, si ligna in tabulis & granariis pingerentur colore rubro, multa posse arceri animalcula aromatibus noxia, quia in ista materia, ex qua pigmentum istud rubrum conficitur, licet minutissime ope molæ contrita sit, tamen in ea sint adeo duræ particulæ, ut nullus vermis, nec is quidem, qui semper in lignis vivit, præsertim exiguus, eas perforare queat.

Macis vero in sarcinas componitur, prius conspersus muria quadam, vel ex sale & aqua, vel sola aqua marina, ut à corruptione liber sit, hoc testatur Wurfbainius, Wan nun die Früchte ab genommen werden, wird die Blûthe an der Sonnen, die Nüsse aber, zumalen bey erman-gelunge der selben, ubern feuer getroknet; als dan die Blûthe mit gewisser maas Saltz, oder Meerwasser, selbige vor die feûlinge zubewaren, besprenget, und ein gebunden.

Sarcinæ vero istæ constant, primo ex foliis arboris Indicæ *Coccos-boom*, in quibus macis involvitur, deinde teguntur arundine Indicæ *Rotting*, sic locantur in navi & cum nucibus exportantur.

Locus vero, in quo locantur, est plerumque prope istum, in quo panis continetur, hinc non mirum est, quomodo vermes ad istum macim perveniant. Hinc aliquando Dn. Leewenhoek observavit macim undiquaque oblitum vermibus, qui tamen saltem in superiori parte positi erant, ibique mortui, hi vermes omnino per errorem in hos flores seu macim inciderunt.

De hoc maci vero notandum, ne quis se confundat cum maci & macere, quos multi pro una eademque re habent, inter alios vero, an hicce macis veteribus cognitus fuit, magna est contentio.

Clusius putat, incognitum fuisse macim veteribus, quod ex Averroï testari conatur in 5. Collig. cap. 42. qui hoc medicamentum inter eorum numerum recenset, quæ Græcis incognita fuerunt. Tantum vero abest, ut Averroï hoc testetur, ut potius eorum auctoritate nitatur. Sic n. scribit Averroï, *Besbese* i. e. macis dicitur, quod sit cortex cujusdam fructus, qui apportatur ex India, compositus est ex diversis

versis substantiis, magis dominans est substantia terrestris, & minus est substantia subtilis, calida, & est multæ stypticitatis cum aromaticitate, sua prima virtus est, sicca in primo gradu, sed caliditas & frigiditas non sunt manifestæ in eo. Sua secunda virtus est, confortare, & retinere, & valent contra passionem cordis, & contra fluxum ventris, & bene testificabit per Galenum, & quæ valet propter suam stypticitatem contra ulcerationem intestinorum, puto igitur, Clusium forsan alia habuisse exemplaria, in hocce n., quod ego legi, non consentire Averrois cum Clusio videtur.

Amatus e contra affirmat, veteribus Græcis cognitum fuisse macim, inde macim & macerem unum idemque esse, scribit enim: Non approbo illorum Judicium, qui macerem a maci Officinarum diversum esse statuunt, cum revera antiquorum macer macis noster sit. Et Lonicerus scribit, macerem & macim corticem ambire nucem Moschatam, quasi esset flos ejus. Monachi isti, qui in Mesuen. commentati sunt, quorum Matthiolus mentionem facit, pro certo affirmant, nullam inter macim & macerem esse differentiam. Cum his quoque plures alii faciunt. Quod vero Græcorum macer minime sit noster macis, apparet inter alia quoque ex Galeno, quando scribit l. 7. p. 55. de S. Med. Macer cortex, qui ex India convehitur, gustu multum acerbio, cum levicula quadam acrimonia odorata, jucundum sane redolens, ut pleraque aromata, seu odorata, quæ ex India convehuntur. Videtur itaque ex mixta constare essentia, pleraque terrena, frigida &c. it. pag. 33. Macer est arboris cortex ex Arabia delatus, hinc omnes, qui de materia medica scripserunt, alvum constipare affirmant.

Quod quoque ex Dioscorid. l. 1. cap. 110. apparet, cujus verba hæc sunt. Macer cortex est e Barbaria advehi solitus, subflavus, crassus, & gustu per quam adstringens &c.

Ex his omnibus nullam video convenientiam cum nostro maci, tantum e contra abest, ut conveniat, quin potius totus contrarius sit. Macer enim cortex admodum crassus est, macis e contra & respective tenuis, macer est temperatus, macis vero calidus. Hinc miror illos, qui nullam differentiam concedere volunt, & inde confundunt unum cum altero, satis enim magnam nobis ante oculos ponit differentiam ipsa arbor, quam Acolta ita describit. Maceris arbor est vasta, & multis ramis prædita, ulmo multo major, cujus folia in longitudinem uncias sex vel septem longa sunt, duas lata, exteriori parte dilutius virentia, interiore saturata, ea non alium fructum, nec
alium

aliū florem, habere creditur, præter semen quoddam denarii magnitudine, colore flavo, sapore amygdalæ, vel nuclei Persicorum malorum, tenui & candida membrana tectum, quod vesica quadam, è tenuissimis duabus simul junctis & transparentibus membranis constante, includitur, ea autem vesica in medio folio nascitur, colore medio interdum inter rubrum & fulvum, inæquali & multis fibris a pediculo ad extremitatem recta linea ductis, succoque lacteo prædita est hæc arbor, dum recens est, flavescente, dum sicca est, admodum adstringente.

Ruillus in Hist. Plant. eandem describit, attingit quoque locum ejus natalem, quando scribit, Nascitur in quibusdam Insulis Orientalibus, præsertim vero in Provincia Malabara, in Insula S. Cruc. & illa appellatur ab Incolis Arbor S. Thomæ, item Arbor dysenterica, a Medicis Brachman. Macre appellatur, & Avicenna describit illam lib. 2. cap. 87. sub titulo Talisafar. Talisafar, inquit, est cortex Ind. in quibus stypticitas, & austeritas, & odoris boni parum inest, substantia terrea plurima, & subtilitas parva, quia vero in præsentiarum de illa non agam, pluribus illam non attingam. Qui vero plura desiderat, evolvat dictum D. Ruillum. Prosper Alpin. de Plant. Ægypt. & Joh. Bauh. ibi quamplurima inveniet.

Si jam prædicta ista veterum de macere contemplamur, invenimus, omnia quam accuratissime quadrare in hac arbore. Propterea nullus dubito, quin veterum macer alius sit cortex, quam noster macis, quod quoque ex antecedentibus dilucide apparet.

Verum hoc non sufficit, plurimi enim volunt, nostram Nucem Veteribus incognitam fuisse, an vero hoc omni jure affirmare possint, hoc altioris est indaginis. Illud enim, quibus isti probare volunt, saltem est, quia de Nuce ne verbum quidem scripserunt, hoc vero non sufficit, inde quoque non licet concludere, quia non scripserunt de Nuce, ergo illam ignorarunt, præsumendum igitur saltem est, eam illis fuisse incognitam, non vero absolute concludendum, quia multarum aliarum rerum mentionem fecere, non vero attigere ullo verbo Nucem, cum tamen hocce nobile aroma vix aliud habet, quod ei palmam præripiat.

C A P U T I V.

*De Temperamento, usu, abusu, & præparatis
Nucis Moschatæ.*

Ad usum medicum eliguntur nuges ponderosæ, densæ, solidæ, odore & sapore penetranti, quæque acu confixæ succum oleosum emittunt, quæ leves & cariosæ sunt, removeantur.

Macis vero eligitur ille, qui subflavus, integer, est, & qui ex impressa plaga liquorem fundit, odore penetranti & suavi, amaricante, substantia pingui & oleosa, easdem habet fere virtutes cum Nuce, quia vero particulas habet tenuiores, propterea ipsius operandi modus efficacior & penetrans magis judicatur.

Calefacit, rarefacit, sanguinis circulum auget, resolvit inflationes, juvat conceptionem, prodest in affectibus frigidis, siccatur, aperit, incidit viscosos lentosque humores, diuresin promovet, adstringit, roborat.

Hinc medici Brachmenfes multum illa utuntur in omnibus frigidis cerebri affectibus, paralyfi, & aliis nervorum atque uteri affectibus, & ad hos affectus tam macem, quam nucem, exhibere solent. Hinc vulgus habet semper oleum, ex fructu recenti expressum, ad eosdem morbos paratum, test. Clus. & Pisone.

Avicenna scribit, calida & sicca est in fine secundi usque ad tertium, styptica est, odorem bonum facit, visum acuit, corroborat hepar, splenem, ventriculum, confert difficultati urinæ, & cum in oleis ponitur, confert doloribus, & similiter in pessariis, & prohibet vomitum.

Serapio vult, esse naturæ caryophyllacæ, calidam & siccam in tertio gradu.

Aëtius, ventrem & stomachum & jecur firmare tradit, coctionem juvare, singultum tollere, tostam, aut ad ignem siccatur, ventris fluxum sanare, maxime si in vino rubro sumatur, matrici utilem esse, renibus & vesicæ, ad difficultatem urinæ convenire, quæ à frigida causa provenit, aliisque multis morbis tam virorum quam mulierum.

Et, si ullum est medicamentum, quod vermium naturæ repugnat, certe uux Moschata est. Si enim experimentum faciamus, & aca-

ros cum Nucis Moschatæ frustulo includamus in vase quodam aperto, per paucum temporis spatium moriuntur, antequam vero in vivis esse desinant, jucundo spectaculo animadvertere possumus, quomodo retrogredientes indicant, hanc nucem sibi non placere, ubi vero nux cortice suo tegitur, ibi non talem vehementem spirat odorem, quia acari trans-eant partem nucis cortice tectam sine noxa, hinc apparet, Nucis Moschatæ exhalationes nocere acaribus admodum, quia post 48. horas omnes sunt mortui, quod vero eorum mors ope nucis acceleretur, inde provenit, quia ista exhalatio tanta vi eorum tracheas afficit, ut inde illorum respiratio prohibeatur, hæc omnia D. Leewenhock accurate observavit. Ille deposuit nucis partes eo in loco, quo multi continebantur acari, qui omnes vitam in fuga quæssiverunt. Videtur quoque oleum Nucis Moschatæ magis repugnare illorum naturæ, quam macis oleum, quia in maci sunt vermes reperti, numquam vero tales, qui maturarum nucum venulas arrosent.

Paludanus notat, quod macis optimo successu infirmitates stomachi sanat, digestionem promoveat, omnesque prava humores consumat, id quod quoque Lacuna, vult, mire roborare ventriculum, urinam provocare, pellere calculum, & qualescunque flatus resolvere. Cordus annotat, Venetas mulierculas Nucem Moschatam masculam contra difficiles partus assumere, hoc vero superstitionem quandam redolere videtur.

Ol. nuc. & mac. in Peste admodum proficuum esse, observavit Excell. D. D. Kruger, Patronus noster honorat: & tunc temporis cum pestis in tractu Halberstadiensi grassaretur, Medicus Pestilentialis, jam vero Brunsvigæ Med. Pract. felicissimus, inde sequens Balsamum Anti-Loimicum magno cum successu ordinavit. R. ol. nuc. expr. destill. mac. Citr. aa. ℥ij. ambr. & mosch. l. a. solut. aa. gr. viij.

Item in vertigine & Apoplexia non minori cum fructu ordinavit seq. balsamum Cephalicum, R. ol. n. M. ℥ij. camph. succin. aa. ℥iv. ol. destill. lavendul. ℥ss. organ. Cret. rut. aa. ℥iv. maj. salv. aa. ℥ss.

In doloribus ventris aliisque morbis à flatibus præprimis exortis certe medicamentum est sine pari. Hoc testatur quoque Joh. Bauhinus proprio suo exemplo, cum ille in Apenninis montibus à nimio frigido haustu subito incidit in insignes ventris dolores, flatibus scrotum vexantibus, accedente tumore. Cum existimaret, se in monte præ doloribus periturum, exhibet ei nuxes Moschatas, quas secum habebat, ipsius in itinere comes. Devoratis quatuor nucibus, subito eo remedio liberatus

beratus fuit à doloribus, iterque perfecit, sospes & incolumis.

Quibus in senectute ventriculus præter modum est debilis, interdum aflumunt mane Nucem Moschatam, aut aliquot guttulas ol. macis, vel bibunt unum vel alterum cochleare spiritus macis, suatore Mœbio. In Catharris, frigidis præprimis, non minores meretur laudes. Hinc nonnulli fumum Nucis Moschatæ accensæ linteis excipiunt, & caput illis fricant. Si oleum Nucis Moschatæ expressum umbilico applicetur in Colica, statim dolor iste Colicus cessabit, teste Schenkio. Hinc Elæolaccharum Macis est in istis affectibus valde famosum. Et si metus abortus adest, certe præstantissimum est remedium, si alia spes reliqua sit, nempe comminuatur lima Nux Moschata cum pane mellito Norimberg. & vino generoso humectantur, eaque omnia umbilicali regioni applicantur.

Macis ad cordis palpitationem, omnesque morbos frigidos, aptior est, quam ipse nux. Oleum ex eo expressum regioni ventriculi inductum ei robur addit, nauseam & fluctuationes tollit, appetentiam excitat, coctionem adjuvat teste Dodon.

A multis quoque creditur nux Moschata caput confortare præ aliis medicamentis, quia characterem seu signaturam capitis habet. Verum, an istis signaturis semper fides sit adscribenda, illis judicandum relinquo, qui longa experientia illud observare potuerunt. Qui horum cognitionem desiderant, evolvant Excellentissimi Georgi Wolfgangi Wedelii, Præceptoris mei æternum colendi, Amœnitates materiæ Medicæ Lib. I. Sect. I. Cap. 4. ubi de signaturis rerum agitur.

Dodon. scribit: *De Indiaanen zieden de gestooten Nooten, of ook de bladeren van de boom, in water, 't gewicht van een of twee dragmen, met zes onsen honig van Roozen, en 2. onsen Brandwijn, tot dat 't water verzied is, en hier van neemen zy alle morgen nuchteren 2. of 3. lepel vol, tegen 't gebrek van de Mage en de Moeder.*

Si glans inungatur ante coitum oleo isto N. M. maxime prodest in impotentia virili, teste Matthiolo. In imbecillitate membrorum corrigenda, potissimum vero articulorum, scribit Bapt. Montanus, se sapius hujus præclaras expertum esse vires.

Nux Moschata in India condita ingens est cardiacum, veneremque auget.

Et tali modo, facili negotio possem demonstrare, quomodo hinc inde, in omnibus fere partibus corporis humani, virtutes exserat, quia

vero Paulinus hoc, magis quam alia curiosa, in suo tractatu de N. M. demonstrat, propterea inconsultum esse de charta in chartam scribere, actumque agere, non necesse duxi. Quia vero nullum tam generosum medicamentum datur, quod non aliqua ex parte abusu nocere possit, ita quoque nostra nux illi est subjecta. Usus enim laudem, crimen abusus habet, hæc, quia insigni facultate narcotica pollet, inducit frequenti vel largiori usu affectus soporosos, quos quoque causat ipsa pulpa ex istis nucamentis expressa, quæ familiarius ab incolis usurpantur. Ventriculum facile sua oleositate gravat, dum vaporibus ad cerebrum delatis somnolentiam & stupiditatem inducit, ut Jacob. Bontius testatur, qui vidit ex tali nucis myristicæ usu non parum periclitatos esse, qui per diem unum vel alterum, non secus ac Caro correpti, immobiles & muti jacuere, certissimo indicio, cerebrum & nervos non parum male affectos esse.

In Anglia generosa quædam Matrona uterum gerens summo cum desiderio avide duodecim nuces Moschatas, tanquam panem, commanducavit, inde quasi in ebrietatem incidit, quæ tamen, post imperatam quietem & somnum copiosum, repellentibus capiti admotis, convaleuit, qui hanc Historiam legere vult, evolvat J. Bauh.

Mœbius in Institutionibus suis narrat exemplum virginis cujusdam, quæ ab usu nimio hujus in soporem gravissimum inciderat.

Multæ quoque sunt scæminæ, quæ ab ista nuce abhorrent, illis vero minime danda est, quarum exempla Hofmann. Lobelius, Rolsinc. Barthol. pluresque alii multa habent.

Quod vero ad præparata attinet, sciendum, in India condiri nuces nondum maturas, virides, vel totas cum omnibus integumentis, vel solum istum calycem crassum, saccharo, vel ex sale & aceto inde muriam parari.

Macis, qui nondum ad perfectionem pervenit, quoque sale & aceto conditur.

Ex Nuce trita & calefacta, præloque expressa, liquor seu oleum admodum suave elicitur, adeo ut cum cinamomo de odoris suavitate maxime certet, ut Joh. Bapt. Porta testatur in libro de destillationibus, de quo Cinamomo Disputatio Inauguralis admodum curiose elaborata a Domino Göller Ratisbonensi, amico nostro suavissimo, æstumatissimo, & jam prælo subjecta, legi potest.

Apud nos quoque nonnullis in locis recipiunt Nuces Moschatas recentissimas in lixivio maceratas, & abradunt cuticulam externam, la-

vantque, donec nihil lixivii in se habeant, hinc siccant & cum saccharo condiunt.

Nota quoque est vulgatissima illa contusio nucis & macis, quæ mediante in pulverem abit aromaticum, & fragrantissimum, pro usu medicamentoso & culinario.

De oleo Nucis Moschatæ notandum, quod illud tribus modis parari possit, nempe per destillationem, expressionem, & coctionem, priores duo modi sunt notissimi, & posterior fit, si nux cum oleo lini leviter coquatur, eodem plane modo, quo olea cocta parare solent Pharmacopœi, qui modi pro diversitate loci quoque variant. De illo oleo expresso notum est, omnia ingredi balsama, quod indeque corpus pro balsamo vocatur, a multis vero prius extrahitur cum Sp. aliquo oleum istud, quod adhuc in isto corpore continetur, ne ranciditatem causet.

Aqua Nucis Moschatæ simili modo parari potest, ut Aqua Cinamomi, quos modos in omnibus dispensatoriis descriptos videre possumus, & quos transcribere tædiosum est. Differt tamen unus ab altero modo, alii cum mica panis, alii cum menstruo adstringenti, nonnulli cum aqua Cinamomi, vel aqua simpliciei, destillationem instituunt, quod quilibet facile pro lubitu & intentione facere potest.

Parant in India, præcipue in ista iusula Banda, oleum macis, ut & in his locis, præcipue Amstelædami, Indorum vero illis omni jure palmam præripit. Parantur & tincturæ variis mensuris, prout enim intentio nostra illud requirit, communiter superfundunt pulveribus Nucis Moschatæ spiritum vini, qui pulverem pyreum accendit, ad eminentiam quatuor digitorum, ita ponunt in digestionem per octiduum, unde filtrant. Alii vero extrahunt tincturam oleo Juniperi. Extrahitur quoque elegantissima tinctura cum oleo tartari per deliquium.

Extracta parantur ex illis, quæ videri possunt apud Schröderum, Mynsicht, Sylv. ingreditur quoque hæc nux pulveres omnis generis, nempe Imperiales, Dysentericos, Aphrodisiacos, pulveres post partum, confectiones post partum, species lætificantes Galeni, morsulos imperatorios, & quis omnes compositiones enarrare potest, quas ingreditur?

Ex capite mortuo post expressum oleum extrahitur sal lixivum, ut omnia per incinerationem facta salia sunt.

In nonnullis Pharmacopœis reperiuntur macis & nuxes Moschatæ saccharo candisato obductæ, & quæ alia plura inde conficiuntur. An-

tequam his metam pono, saltem paucis illius resinæ mentionem faciam, quam ex India venientes ex ista arbore nucifera eodem modo, ut variarum arborum resinas, stillare dicunt, quæ, si prunis injicitur, jucundissimum causat odorem.

F I N I S.



NOBI-

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE

D. N I C O L A O
S C H U L T Z I O,

*Medicinæ Doct. Amico percaro, de Moschata Curiose &
Publice disputanti, Feliciter, animitus gratulatur.*

Fragrare Moschatam gratiaque mercalem.
Condere pompam, sive sit Cisalpini
Res institoris, sive Molucci, sive
Adulterinos Gallus explicet Banda,
Id quisque naso scilicet suo credit.
Fragrare macis indolem Tibi flores
Plus grisea ambra, balsamoque Judæo,
Syroque amomo, cinnamoque Thomano,
Id quisque maci scilicet tuo credit,
Mi Disputator, germen inclytum Phæbi,
Sic erudite prorsus elaborato.

BARTHOLDUS KRUGER;
V. M. D. Brunepoli.

907

119

